

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.  
**0075**

**0073**

**0079**

**0069**

**0084**

**0064**

**0124**

**0024**

**0174**

**0574**

**1074**

**Ende**

**Anfang**

64

miro modo reipublicae necessaria; tanta enim fortitudine et  
audacia viget, ut in bellis et periculis mortis imperterritus  
maneat; domi autem consistens rempublicam multiplicatione  
liberorum sine defectu augmentat, nec invenit uxor, etiam  
iracunda, rationem recedendi ab eo, conjuncta tam virtuoso  
supposito. In derisionem calvorum recitant de Aeschine ora-  
tore calvo, qui die quodam moenia egressus sedit in horto  
nudato capite; aquila autem in aere volitans, praedam testu-  
dinem unguibus ferens, terramque respiciens, ut illam super  
lapidem quempiam dimissam frangeret, super Aeschinis  
caput, quod propter calvitium aquilae lapis videbatur, eam  
cadere permisit, et hoc vulnere vitam amisit. Huic autem  
diffortunio Julius Caesar obviare volens, vel calvitiae defor-  
mitatem arte ornare, impetravit a senatu, uti perpetua laurea.  
E contrario nunc dii mundi, monarca orbis Papa, et totius  
[ecclesiae] principes et ministri, calvitium capitibus suis  
natura negante, arte rasuram inducunt in demonstrationem  
eminentiae, et quanto altior status, tanto latior calvities. O  
quantum optasset superbis ille Absolon se de calvatis, dum  
palpitaret pendens, coma suspensus in quercu, 2 Reg. 18.  
Quantum autem calvi Deo placeant, patet ex dura et (206 A)  
insolita puerorum Jerichontaeorum calvum deridentium puni-  
tione. Ideo in via et in loco illo, in quo illa derisio contigit,  
stetimus, et sanctitatem dignitatemque calvorum accurate  
considerantes eos consequenter honorare et nequaquam deri-  
dere decrevimus, propter eum, qui non nisi in monte calvo-  
rum vel decalvatorum redimere humanum genus sua morte  
voluit. Cujus mortis insignia in vertice et ancipite calvi  
praeferunt, qui iam mortui sint mundo et vivant Christo.  
Caput enim eorum manifeste mortis speciem, mortis figuram  
habet, et tamen ratione, circumspectione et sensu plenum  
est, ita, ut calvis bonis et honestis dici possit illud Colos-  
ses 3.: mortui enim estis, et vita vestra abscondita est  
cum Christo in gloria. Quasi diceretur eis: mortuis similes  
estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in gloria. Sed  
quam separati et abstinentes a rebus hujus mundi deberent  
esse calvi, ostendit Apostolus, Coloss. 2. dicens: si mortui  
estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc tamquam

